DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

DYSPEPSIA.

2

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

DYSPEPSIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ Decreto

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

HILL MORGAN,

HIBERNUS,

SOCIET. HIB. MED. EDIN. SOC. EXTR. ET PRÆS. ANN.

SOCIET. REG PHYS. EDIN. SOC. HONOR.

NECNON

SOCIET. AMERIC. PHYS. EDIN. SODALIS.

AD DIEM 24 JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

Dum relego, scripsisse pudet, quia plurima cerno,
Me quoque, qui feci, judice, digna lini.

OVID.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

APUD ROBERTUM ALLAN.

M,DCC,XCVII

NOBILISSIMO VENERANDOQUE ADMODUM VIRO,

JACOBO HAWKINS, D. D.

RAPHOENSI EPISCOPO,

S. P. D.

HILL MORGAN.

Cui potius, quam tibi, vir reverendissime, hasce in arte Apollinea primitias, parvi quidem pretii, minimeque, ut nomen tanti viri præferant, satis dignas, quæque a me non omnino susceptæ forent, nisi ut legibus hujus almæ academiæ obsequerer, consecrarem? Hoc autem imprimis mihi feliciter contigit, ut publice gratias, quas habeo summas, ob multa beneficia in me meosque collata, ei agam, quem, propter pietatem, benevolentiam insignem, morumque elegantiam, etiam maxime laudati non satis laudare possunt. Exorandus es igitur, quod non ut meretur, hocce opusculum, tuo nomine inscriptum, sed ut vellem, benigniter accipias—nempe ut parvulum magni honoris pignus, quo te tuosque prosequor. Per longum tempus omnibus tibi notis benefacturus feliciter degas, vitaque peracta, te, ut justum est, cœlicolæ recipiant. Vale.

In rebus quibuſcunque difficilioribus, non expectandum, ut quis ſimul et ſerat et metat; ſed præparatione opus eſt, ut per gradus matureſcant.

BACON.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

DYSPEPSIA.

Auctore, *HILL MORGAN.*

VENTRICULUS propter officium quo fungitur et propter nervos quos a pari vago et ab intercoſtalibus accipit, magnum cum reliquo ſyſtemate nexum habet; exinde in variis morbis, qui in ſyſtema nervoſum effectus ſuos exercent, ventriculus fere ſemper afficitur, ſic in typho nauſea et vomitus inter prima et graviora ſymptomata extant; in variola dolor in regione epigaſtrica ab initio ſentitur, et anorexia ſemper, vomitu aliquando

quando ſtipatur. Ut vires detritæ renoventur neceſſe eſt ut materia animalis vel vegetabilis in noſtram mutetur naturam; hoc præſtat ventriculus, et modus quo perficitur a phyſiologis concoctio dicitur. Uſque in hoc ſæculum a medicis de cauſâ proximâ concoctionis diſputabatur, aliqui eam fermentationi,* alii vero putrefactioni tribuebant,† plurimi eam trituratione ventriculi et muſculorum abdominalium perfici ſomniabant; ‡ ſed novo hoc ævo chemiæ affulgente lumine, clarum fecit vel fermentationis vel putrefactionis conditiones neceſſarias nullo modo in ventriculo ſano adeſſe; ad fermentationem enim neceſſe eſt ut adſit liber aëris acceſſus, et longum tempus requiritur, producta vero ſunt vel acetum vel vinum, ſed nec hæ conditiones locum habent nec producta ſupradicta niſi in ventriculo morbis affecto unquam obſervantur; ut putrefactio locum habeat, conditiones ſimiles neceſſariæ inveniuntur, et præterea alkali volatile reperitur

* Boerhav. Pringel. et Macbrid.

† Liſter. Empedocles. et Al.

‡ Eraſiſtrat. Pitcairn. et Al.

reperitur, ſed nunquam poſt concoctionem ſtatu naturali detegi potuiſſet. Quamvis ex vomitione et cibi per pylorum expulſione, ſuſpicio inciderit ventriculi muſculos nequaquam inertes eſſe; eos tamen ad ciborum concoctionem, haud multum conferre experimentis compluribus et ſæpe repetitis probavit SPALLANZANI. Succum enim gaſtricum, concoctionis cauſam præcipuam eſſe inveniebat, imo extra ventriculum cum ſucco gaſtrico commixtos cibos concoqui detexit, quando ſcilicet in gradu caloris idoneo poſita fuiſſent. Inde concludere licet ſuccum gaſtricum ciborum concoctionis cauſam eſſe, adjuvante tamen ventriculi calore, nam hìc, ut aliter, calor menſtruorum vires auget. Ventriculus, ut alia viſcera inflammatione afficitur, ſed præterea alio morbo Dyſpepſia dicta afficitur, de hac differere fert animus. Nullus corporis humani morbus ſymptomatibus magis irregularibus ſtipatur, ſic eam definire conatur CULLENUS.

" Anoroxia, nauſea, vomitus, inflatio, ructus, " ruminatio, cardialgia, gaſtrodynia, pauciora ſal- " tem vel plura horum ſimul concurrentia, ple-

"rumque cum alvo adſtricta et ſine alio vel ven-
"triculi ipſius vel aliarum partium, morbo."

MORBI HISTORIA.

Hic morbus nomen *proteiformis* jure adeptus eſt, quia ſymptomata ejus tam multum ab invicem variant, ideoque notabiliora ac frequentiora tantum tradere conabimur.

Dyſpepſiam inſtare teſtantur cibi appetentia imminuta, ventriculi vacui diſtentio, et animus ſine cauſa evidente demiſſus mœſtuſque; paulatim vires langueſcunt, motumque faſtidit ægrotus; alimenta ſine deſiderio capiuntur et malè concoquuntur; ventriculus et canalis inteſtinalis flatu diſtenduntur, et eructatio ſolatium aliquod præbet; aliquo poſt prandium tempore acidum in ore ſentitur, et aliquando, ut plus quam ſemel ego ipſe vidi, cibi fruſtula integra in os rejiciuntur et expuuntur. Non ventriculus ſed etiam aliæ corporis partes nunc afficiuntur, dolor circa præcordia

et

et cordis palpitatio ægrum cruciant, caput cephalalgiâ laborat, inteſtina diarrhœa, quæ non raro ſolatium præbet. Cor et arteriæ tam debiliter ſæpe ſuo funguntur officio, ut ſanguis in iis languеſcere videtur, facies colorem induit lividum et extremitates frigeſcunt.

Ægrotus magis nunc debilitari incipit, languorem et laſſitudinem a minimo motu percipit; lingua areſcit, et materia viſcida tegitur; labia colorem ſuum rubicundum amittunt, et anima fœtet; vel dormire non poteſt, vel ſi tandem fatigatus parumper ſomno fruatur, ſomnia injucunda eum perturbant.

Mens non minus quam corpus laborat; attentionem ad ſtudia ſolita præbere non poteſt, antea jucundus et hilaris, triſtis et iracundus devenit; quæ antea maximé placuerunt nunc ingrata fiunt, et non raro ſibi ipſi lethum dat.

In hoc provecto morbi ſtadio acceſſiones meridianæ et veſpertinæ, ſudores nocturni et alia febris ſymptomata accedunt; ſaliva majori copiâ ſecernitur propter glandularum ſalivarium laxita-

tem:

tem: ventriculus tam irritabilis ſit ut aſſumpta ſtatim rejicit: ob inteſtinorum debilitatem et irritabilitatem auctam, majorem fluidi copiam in canali inteſtinali ſecreti, diarrhœa ſæpenumero vexat ægrum.

Debilitari magis indies nunc incipit totum ſyſtema, et hinc quamvis hic morbus ſolus nunquam videatur eſſe mortis cauſa, tamen corpus ad alios morbos prædiſponit; aliquando hydrope, aliquando typho, vel aliis hujus generis clauditur ſcena.

DIAGNOSIS.

Ab hiſtoria hujus morbi patebit diagnoſin non ſemper facilem eſſe propter diverſam ſymptomatum faciem, et ex eo quod in pluribus morbis dyſpepſia ſymptomatica eſt; multum inter medicos diſputatur an ſit idem cum hypochondriaſi morbus: Hi qui opinantur eos diverſæ eſſe naturæ; dicunt eos temperamenti ſanguinei dyſpepſiâ, melancholici vero hypochondriaſi ſæpius affici. Ad primum

pertinent

pertinent qui compagine laxiore præditi ſunt, plethorici, poteſtatis nervoſæ ſenſibilitate inſignes, et irritabiles; ad ſecundum vero, qui compagine firmiore, pilis duris, cute ſicca notantur, quoque ad impreſſiones recipiendas admodum tardi, ſed qui receptas firmiter tenent; fatemur autem temperamentorum theoriam non bene ſtabilitam nobis videri, ſemper enim diverſas temperamentorum notas commixtas vidimus; et exinde morborum diverſitatem quæ huic fundamento innititur, non bene fundatam putamus.

Chloroſis dyſpepſiam multum ſimulat, et revera chloroſis dyſpepſiæ ſymptomatibus ſemper ſtipatur, non inde concludere tamen licet hos morbos eoſdem eſſe; dyſpepſia enim eſt morbus cuique ſexui et ætati infeſtus, chloroſis puellas teneras et aptas premi ſolummodo afficit, chloroticis menſes non fluunt, dyſpepticis vero menſtrua ſæpe ritè fluunt imo ſæpe copioſiora quam ſanis evadunt.

Nobis etiam neceſſarium videtur dyſpepſiam a ſchirrho pylori ſecernere, quamvis enim pylori ſchirrhoſitas omnia dyſpepſiæ ſymptomata monſtrat, facilis

facilis tamen diagnoſis. Nam pylori ſchirrhus tactu medici diſtingui poteſt; poſt cibum aſſumptum vomitus ſæpius ſequitur, dolor a ſcrobiculo cordis preſſo oritur.

CAUSÆ REMOTÆ.

Duplicis ſpeciei a Culleno habentur,

1*mo*, Quæ in ipſum ventriculum agunt.

2*do*, Quæ in alias corporis partes agunt et ſuos effectus ad ventriculum communicant.

1*mo*, Quæ in ventriculum aſſumpta, ibidem ſuos exercent effectus; hujuſmodi vero ſunt, ſic dicta narcotica, inter hæc eminet opium, quod diu aſſumptum ventriculum admodum nocet; mirum eſt illud ſedans vel narcoticum * dici potuiſſe, quum ſtatim poſt aſſumptum cordis et arteriarum actionem auget, animum exhilarat et vires detritas reficit, imo effectus ejus omnino vino conſimiles eſſe teſtatur celeberrimus Home. † Quando Turcæ triſtes

* Vid. Crumpe on Opium.

† Prof. Home in Prelectionib.

triſtes ſunt, vel ad pugnam incedunt, nil melius opio inveniunt ad animum excitandum, et ſane mirandum eſſet ſi in Turcas ſtimulantes et in Chriſtianos effectus ſedativos præſtaret. Thea nimiâ copia aſſumpta frequens dyſpepſiæ cauſa eſt; ſimili modo ac opium in ſyſtema agere probavit Dr LETTSOME experimentis in ranas factis, et ſæpe repetitis. Vires ejus præcipue in partibus volatilibus inhærere etiam detexit *.

Liquores Spirituoſi. Hi, ut nobis videtur eodem fere modo ac opium in ſyſtema agunt, primo ſtimulant, cordis et arteriarum actionem promovent et animum ex triſti et mœſtum, hilarem, et jucundum, reddunt; ſed hanc auctam ſyſtematis actionem ſequitur debilitas a CULLENO collapſus dicta. Sed præter effectus ſuos generales in ſyſtema, hepati præcipue infeſti ſunt, ſchirrhoſitatem et obſtructiones in eo faciendo; exinde putat DARWIN celeberr. fabulam provenire Promethei, cujus hepar comedit vultur. †

* Vid. Lettſome's Natural Hiſtory of the Tea Tree, &c

† Vid. Darwin's Zoonomia and Botanic Garden.

Nicotiana. Quando nimis magna aſſumitur quantitate, ut venenum, in ſyſtema nervoſum effectus ſuos edit; minore quantitate ſæpe aſſumpta ſtimulat, e naribus fluxum muci, et e glandulis ſalivaribus, ſalivæ adauget; exinde dyſpepſiæ cauſa remota haberi poteſt, non ſolum quia, ut omnia ſtimulantia, effectu ſecundario debilitat, ſed quia ſalivæ ſecretionem augendo, hoc fluidum ad cibi concoctionem ſanam valde neceſſarium, nimis copioſé exſpuitur: CULLENUS etiam putat eos qui nicotianam forma pulveris ſumant, exinde pati, quod pars ex faucibus in ventriculum deſcendit, et ibidem aliquando inventam fuiſſe aſſerit. *

Tonica et victus lautior huc quoque pertinent, et modus agendi fere ſimilis eſt, nempe nimis ſtimulant inde augetur collapſus.

2do, Ad ſecundum caput pertinent, omnia quæ corpus debilitant et relaxant; qualia ſunt pathemata mentis violenta, vita ſedentaria, ſtudium intenſius, venus nimia, partus crebriores, &c.; nec difficile intellectu eſt quomodo agunt.

CAUSA

* Materia Medica, art. Tobacco.

CAUSA PROXIMA.

De caufa proxima hujus et aliorum morborum multum difputant medici. Ex fupra dictis patet caufas omnes hujus morbi remotas debilitantes effe, inde concludere licet earum effectum effe vel totius fyftematis vel ventriculi folius; dum vero ventriculus nimis debilis et irritabilis eft, alimenta affumpta rejiciet vel faltem ea rejicere conetur, hinc anorexia, naufea, et vomitus tam fæpe in morbi hujus decurfu obfervata: fuccum gaftricum etiam vitiatum putant alii * et revera organo fecernente læfo, fecretionem exinde male fe habere oportet; fuccus gaftricus, quam concoctionis caufam efficientem vidimus, ad cibos concoquendos ineptus erit, inde in ventriculo ut maffa extranea manebunt, donec ventriculus nimis gravatus, eos prorfus rejiciet.

Exinde etiam patebit ratio inflationis et ructus; nempe quamprimum cibus in ventriculum defcen-

 dit;

* Vid. Cullen's Firft Lines, parag. MCXCV.

ſalivæ et ſucci gaſtrici ope aër fixus ex eo ſeparatur, unde ſtatim poſt alimentum aſſumptum diſtendi percipimus; hic aër vero nihil moleſtiæ ventriculo ſano facit, unde eum abſorberi putant plures phyſiologi; ventriculus vero debilitatus hanc abſorbendi poteſtatem amittere debet.

Alvum plerumque aſtrictam dyſpepticis obſervamus; nam debilitas ventriculi ad totum tubum inteſtinalem communicatur, inde fungi ſuo officio non poteſt, præterea ventriculus atonicus nimis tarde alimenta per pylorum in duodenum propellit, et inteſtinorum motus periſtalticus ob tonum minutum, diminuitur.

Poſt aſſumpta ex regno vegetabili alimenta acidum in ore ſæpiſſimé ſentiunt dyſpeptici; hoc ex eo provenire putabatur quod fermentationem acidam ſubiiſſent vegetabilia; hoc vero habere locum rariſſime nobis videtur; nam ut fermentatio locum habeat longum requiritur tempus, ſed ſapor acidus paulo poſt prandium in ore percipitur. Ad fermentationem etiam liber aëris acceſſus neceſſarius eſt, ſed ventriculus plenus fere clauditur, quia nempe

nempe antrorſum truditur. Acidum ergo ſaporem petimus ab inquinato ſucco gaſtrico copioſius, ob alimenti ſtimulum ſecreto. *

Cullenus, † dyſpepſiam a triplice vult pendere cauſâ, nempe vel a ventriculi debilitate, vel a ſucci gaſtrici defectu vel ab ejus inquinatione. Dum nimis parva quantitatê ſit ſuccus gaſtricus, alimenta ritè concoquere non poteſt, et inde vel acidum vel anorexia aut vomitus.

Anorexiam ab experimento in ſe ipſum facto, pendere a ſucco gaſtrico omnino deficiente putat auctor ingenioſus, ‡ qui nuper de hoc morbo ſcripſit; exinde emetica ut ſuccum gaſtricum evacuantia in dyſpepſiæ ſanatione, damnat.

Hepatitidem chronicam dyſpepſiam ſimulare ſcribit Saunders in ſuo de Hepate tractatu aureo; dum ſcilicet lobus hepatis ſiniſter, qui ventriculo incumbit, afficitur, dolor ex ventriculo diſtento auctus

* Vid. Hunter on the Animal Œconomy, p. 163.

† Cullen's Firſt Lines, parag. MCXCIII. MCXCV. et MCXCVI.

‡ Wilſon on Urinary Gravel, p. 144.

auctus percipietur, qui, ventriculo depleto, diminuitur: dyspepsiam etiam causam hepatitidis sæpe chronicæ remotam putat idem auctor. *

Ad dyspepsiam pertinent quæ originem ducunt a schirrho vel ipsius ventriculi, vel vicinarum partium, hepatis, pancreatis, vel lienis; dyspepsiam a pancreatis schirrho memorat De Haen: † huc etiam pertinet dyspepsia ab ulcere ventriculi proveniens, a diversis materiis extraneis in ventriculum assumptis, a ventriculi hernia, et a gastritide.

Hæc species dyspepsiæ quæ e morbis vel totius systematis vel quorundam viscerum oriri observatur, in febribus, paralysi, hysteria, chlorosi, &c. accidit.

Hæ causæ omnes ventriculi tono nocent, et remotæ tantum habendæ sunt.

RATIO MEDENDI.

Hanc in tria consilia dividit Cullenus celeberrimus.

* Vid. Saunders on the Liver.

† Ratio Medendi, vol. II. chap. VII. sect. 8.

1*mo*, Caufas remotas quam diligentiffime vitare.

2*do*, Symptomata quædam, quæ morbum graviorem reddunt, tollere.

3*tio*, Tonum ventriculo reddere.

Quantum ad primum confilium attinet, intellectis caufis remotis, facile intelligetur.

Quod ad fecundum, fymptomata adjuvante medicina tollenda funt, præcipue acidum ventriculi, anorexia, vomitus, gaftrodynia, alvufque aftricta.

Dyfpepticos præcipue materie animali uti oportet, nam norunt bene chemici multo facilius vegetabilia quam carnes fermentationem fubire, quamvis vero hanc fermentationem raro locum habere putamus, tamen vitanda funt vegetabilia etiam ob majorem quam continent aëris quantitatem, et ob hoc, quod difficilius concoquuntur: quando vero acidum in ventriculo adeft et cardialgiæ caufa eft, tunc ei occurrendum eft, ope falium alkalinorum et abforbentium; inter hæc eminent magnefia ufta et creta.

Anorexiam

Anorexiam et vomitum ſanare conantur medici emeticorum ope, certe emetica pro temporis brevi ſpatio ægrum ſolari ſæpiſſimé vidi; non obliviſcendum vero eſt quod repetita, tonum ventriculi minuunt et ſemper eum ad concoctionem minus aptum reddunt; quando hoc conſilio adhibentur, emetica leniora anteponenda ſunt; ſi nimis diu perſtiterit vomitus, opium internè adhibitum vel cataplaſmatis formâ regioni ventriculi admotum raró ſpem fallit.

Gaſtrodynia pro ventriculi ſpaſmo haberi poteſt; inde ad eum debellandum proſunt ſic dicta antiſpaſmodica, opium, moſchus, æther, &c.

Alvum aſtrictam ſæpe in hoc morbo occurrere vidimus: contra hanc valent ſales neutri, qui quantitate parvâ et ſæpius ſumpta alvum leniter movent; draſtica vero ut inteſtina tandem debilitantia, ſumma cura vitanda ſunt; rheum in hoc caſu princeps remedium eſt, ex eo, quod non ſolum vi purgante gaudet, ſed quod amaritudine ventriculum roborat. Oleum recini, aloes, et ſulphur,

phur, quod purgans admodum lene eſt, huc quoque pertinent.

Tertium conſilium tonum ventriculo reddendo peragitur. Ad ventriculi et totius ſyſtematis atoniam auferendam nil magis quam tonica et amara conveniunt; illis præcipue annumeranda ſunt, exercitatio, balneum frigidum, cortex Peruvianus, et chalybeata; his, columbo, gentiana, chamæmelum et abſynthium.

Inter hæc, nil magis ad tonum ventriculo reſtituendum valet quam exercitatio, quæ tamen cum cautelâ adhibenda eſt; modus quo agit facile intelligitur; quippe muſculi corporis in actionem concitati ſanguinem per venas, has comprimendo, majore vi propellunt; hinc citius ad cor dextrum et pulmones, perque hos cito ad ſiniſtrum et exinde in aortam ſuis mediantibus ramis, univerſum corpus adeuntem, ſanguis percitatur; hinc omnes augentur ſecretiones et excretiones, et inter reliquas perſpiratio. Sed exercitatis vaſis perſpiratoriis tonus ventriculi augetur, vel ob ſympathiam inter fibras muſculares ejus, et cutis, vel quod, ob

hunc nexum arteriolæ quæ gaſtricum ſuccum ſecernunt, in actionem excitantur, et ſic atonia ventriculi tollitur. Cavendum tamen eſt ne vaſorum perſpiratoriorum exercitatio nimia ſit, potius enim iterandum eſt hoc remedium cum aliquâ conſtantiâ, quia non uno impètu ſed conſuetudine ſtabili malum tollendum eſt.

Balneum frigidum ut remedium præſtantiſſimum dyſpepticis habendum eſt; nam frigus abſtrahit a ſyſtemate ſtimulum potentem, inde, poteſtatem nervoſam in extremis nervis imminuere tendens; lege corporis, hanc contrario ritu afficit, cerebrique vim ſupra ſolitum modum intendit; et ſic aucta poteſtate cerebri, tonus in omnibus corporis partibus et præcipue in vaſis perſpiratoriis, totius corporis vigore teſte, intenditur.

Cortex Peruvianus inter vegetabilia tonica primum occupat locum: * propter amaritudinem, vim aſtringentem, et aromaticam, totum roborat ſyſtema; exinde optimum præſtat remedium in ventriculi

* Home, loco citat.

triculi debilitate et in variis morbis chronicis qui a solidorum laxitate et debilitate oriuntur: solida roborare, videtur esse ejus operatio primaria, et alii effectus ex hoc oriri videntur; ubi corticem Peruvianum adhibemus, ei cum fructu jungi possunt varia aromatica ut pulvis serpentariæ, cascarillæ, cortex aurant, &c.

Ferrum est optimum tonicum et astringens; in ventriculum assumptum cordis et arteriarum actionem auget, secretiones omnes promovet; in hystericis et hypochondriasis optimos præstat effectus, sed cum cautelâ administrandum est; incipiendum enim est cum parva dosi, quæ sensim augenda est: ferri rubigo aliorum præparatorum locum supplere potest.

FINIS.